

www.e-rara.ch

Plutarchi Cheronei Graecorum Romanorumque illustrium vitae

Plutarchus

Basileae, anno 1553

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-2617>

Clarissimo viro dn. Ludovico Dangerant, invictissimi Galliarum regis consiliario, & ad Helvetios legato &c. heroi prudentissimo, literarum bonarum omnium Mecoenati, domino suo clementissimo, ...

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

CLARISSIMO VIRO DN. LVDOVICO

DANGERANT, INVICTISSIMI GALLIARVM

*Regis Consiliario, & ad Heluetios Legato &c. heroi prudenti-
tissimo, literarum bonarum omnium Mecœnati, domino*

suo clementissimo, Hieronymus Gemusæus

S. P. D.



RAECLARE dictum olim, & nostri seculi moribus abunde confirmatū est, honoribus artes ali, omnesq; incendi ad studia, gloria iacereq; semper ea quæ apud quosq; improbantur. Summam eruditionem Græci sitam censebant in neruorū uocumq; cantibus, ergo inter eos Musici floruerūt: & Epaminōdas princeps Græcorū fidibus cecinisse dicitur, discebantq; id omnes, nec qui nesciebat, satis excultus doctrina putabat. Igitur & Themistocles cū in epulis recusasset lyram, habitus est indoctior. In summo apud eos honore Geometria fuit, itaq; nihil Mathematicis illustrius. Artesq; hoc tempore apud non paucos penè damnosæ, non modò apud Græcos, sed & Latinos quæstuosas ac locupletatrices fuisse, permultis exemplis ac memorabilibus ostenditur. Tranquillus Vespasianum principem, licet non nimis prodigum, ingenia tamen & artes uel maximè fouisse, primumq; è fisco Latinis Græcisq; rhetoribus annua centena constituisse, præstantes poëtas necnon artifices passim coëmisse, tradit. Viginti talentis emptam unam Isocratis orationem, autor est Plinius. Hominū primus & auream statuam & solidam Gorgias rhetor Leontinus, Delphis in templo sibi posuit, septuagesima circiter Olympiade. Thucydidem imperatorem Athenienses in exilium egerant, historiæ conditorem reuocarunt, eloquentiam mirati, cuius uirtutem damnauerant. Alexander Magnus inter spolia Darij Persarum regis unguentorum scrinio comperto, quod erat auro gemmisq; ac margaritis preciosum, uarios eius usus demonstrantibus amicis, Imò hercle, inquit, librorū Homeri custodiæ detur, ut præclarissimū humani animi opus, quāmaximè diuite opere seruetur. Idem cū Thebas caperet, Pindari uatis familiæ penatibusq; parci iussit. Aristotelis patriam, à Philippo euersam, rursus condidit. Autor est Athenæus, animalium historiam, quinquaginta libris ab Aristotele conditam, millibus aureorū quadringentis & octoginta, Alexandrum redemisse. Neque uerò paruo in precio Medicina fuit, cuius scientiam in Theombroto, Ptolemæus rex, Megalensibus sacris, seruato rege Antiocho centum talentis donauit. Et pictura minimè neglecta iacuit. Aristidis Thebani pictoris, ut autor Plinius est, unam tabulam centum talentis rex Attalus licitatus est. Octoginta emit duas Cæsar Dictator, Medeam & Aiace Timomachi, in templo Veneris genitricis dicaturus. Candaules rex Bularchi, picturam Magnetum mediocris spaci, rependit auro. Pamphilum pictorem tradunt neminem minoris docuisse talentis annuis decem, quam mercedem Apellem ac Melanthiū ei dedisse autor est Plinius. Eiusdem autoritate effectum est, Sicyone primū, deinde & in Græcia tota, ut pueri ingenui ante omnia graphicen, hoc est picturam, in buxo docerentur, recipereturq; ars ea in primū gradum liberaliū. Neq; uerò Apelles artis discendæ mercedem decoxit. Nam Alexandrū Magnū fulmen tenentē, in æde Ephesiæ Dianæ auri talentis uiginti pinxisse traditur. Fama est cū Venerem Anadyomenen, quæ ipsa quoq; inter huius opera celebratur, Augustus è templo Aesculapij, apud Coos ualde nobili, Romam transtulisset, centum ijs talenta ex imperato tributo, pro tabula remisisse. E quibus omnibus, ut & alijs præ-

*Valent aureis
coronatis 2500.*

claris ac permultis exemplis, coniecturam facere non uulgarem licet, quanta fuerit artium liberalium apud ueteres existimatio. Ergo discebant eas omnes, & qui nesciebat, idoneus ciuis esse non putabatur. Postera tamen ætas, singularum utilitate perspecta, hisce terminauit modum, ac tantam cuiusque existimationem esse iussit, quantam in repub. utilitatem secum adferret. Sic Oratorem Romani & disciplinam militarem celeriter amplexi sunt. Poeticam serius receperunt, nec in magno honore habuerunt, unde minora huius studia fuere. In cæteris ita excellere, ut neque Græcis, à quibus tamen plerumque usurpassent, nec omnino genti cuiquam cederetur. Videtur itaque, ut in singulis disciplinis inueniendis constituen discipuli, principia quædam primum, ac incrementa deinde extiterunt, sic ipsarum inter sese collatio æstimationisque initia & progressus habuisse, donec experientia scilicet ostendisset, quantus cuiusque in rebus humanis usus esset: quæ in re non pauca mutare seculum, quædam etiam regio ipsa aut reipub. forma, consuevit. Supra uero cæteras artes omnes, earum literarum studia, quas uocant bonas & humaniores, nulli non genti ac hominum generi præclaram quandam & uariam utilitatem adferre solent. Et non adeo pridem orbis nostri nationes uariæ, magno consensu ea studia amplecti coeperunt, sed non pari fide in hunc usque diem retinere ac tueri uidentur. Nam qui in nonnullis fuerat ardor, uehemens quispiam ac sanè mirificus, non multum ultra primum limen ingressis, statim est extinctus. Velut nunc inter nostrates homines pessum ire literarum uidentur, quæ tanta cum admiratione omnium, oriri coeperant. Arbitror, quia in imperitorum manibus præmia sunt, qui cum literarum ignari sint, nec admirari eas, nec amare queunt, & quæ præmia studiosis hominibus debebantur, ferè largiuntur alijs, aut assentatoribus, aut sycophantis, aut omnino indoctis. Neque enim de hominum ingenijs rectè iudicare norunt, literarum imperiti, sed prout quisque lingua fuerit uolubiliore, magisque ad uulgus accommodata, tanto existimatur doctior. Ergo aut in illos impenduntur doctorum præmia, aut à quibusdam parum bonis uiris distrahuntur. Putant interea ingentes quosdam sumptus factitari, quia unus alatur & alter, quibus tamen ipsis quoque sic est prouisum sæpe, ut uix animam ducant: suos certè, si quos habent, pascere nequeunt. Hisce in rebus omnibus uehementer probanda sunt uestrorum consilia, dum ueterum prudentiæ minimè immemores, non patiuntur suos studijs honores ac præmia deesse: quo fit ut nemo non per literas sibi ac uirtutem ad magna fastigia quærat aditum: & non ita multo post futurum uideatur, tot habeat duces uestra natio quot milites, tot præstantes ac excellentes docendi magistros, quot habent cæterarum gymnasia discipulos. Ea est Christianissimorum Regum prudentia atque liberalitas, ut & ingenia optimorum inuitent perlibenter, & ipsis nihil non ad uirtutem suppeditent liberaliter. Principis studia, ut ferè assolet, cætera sequitur nobilitas, & homines doctos ac bonos promouere certatim quisque gestit, ut propè diem expectandum sit, quam prius cum cæteris communem Gallia habuit, eam laudem totam sibi sola nunc auferat. Occasionem autem mihi fecit harum rerum cogitatio, præclari huius operis ad te destinandi, excellentissime Legate. Nam dum inter hanc, in mentem subisset illustrium uirorum uestræ gentis memoria, è quibus te quoque, magna prudentia, uariarum scientiarum copia uirum, primam laudem ferè cognouissem, putauì neque ineptum fore, neque præter officium meum, si tuo nomini inscripserim PLVTARCHI historiam, quæ non ita pridem à Simone Grynaeo, uiro nostra ætate incomparabili, græci codicis collatione emendata, nunc excuderetur nitidius multo & elegantius. Sed & minimè ingratum id fore Excellentiae tuæ arbitrabar, quod & literarum

rum omnium amatorem, & doctorū hominū patronum esse singularem quen-
dam te cognouissem, tum iisdem quoque studiis oblectari solitū, qualibus hic au-
tor in primis gaudebat. Nam is quoque aulae sectator olim, & magna apud Impe-
ratorem Traianum autoritate pollens, sic in repub. uersatus est, ut philosophiae
studium nunquam deponeret, ac prudentiam cum sapientia cōiunctam semper
haberet. Supra uerò haec omnia impellere me non desijt huius scribendi generis
dignitas, de quo ipso sanè, & ut constet adhuc magis institutū istud minimè fal-
sum esse, quaedam narranda & paulò distinctius repetenda uidentur. Cū scri-
ptorū uaria sint genera, & aliud alio praestantius sit, quod aestimatur uel diutur-
nitate uel dignitate utilitateque, omnibus hisce nominibus cæteris praestare histo-
ria sanè uidetur. Nam uetustissimum hoc scribendi genus esse permultis proba-
tur. Cū enim apud Græcos antiquissimū ē doctis genus uideatur poëtarum,
siquidem Homerus fuit & Hesiodus ante Romam conditam, Archilochus re-
gnante Romulo, historiam eo genere antiquiorem fuisse ac longè præcessisse ne-
cesse est, quoniam poëtici apparatus fons & origo fuit ipsa historia. Nam Poëta
tanquam fabulas ad docendum usurpet, multas ueritatis quoque partes suscepit,
& falsum apposuit, illam quidem acceptans, hoc uerò ad ducendam multitudinē
populariter ac militariter inferens. Hoc modo bellum Troianum, ut gestum est
ex historia sumens, fabulosis inde figmentis adornauit Homerus. Sic & Vlyssis
errores. At enim nulla ex ueritate noua annectere prodigia, nequaquam est poë-
ticum: hoc enim modo ut quis uerisimilia mentiatur maximè contingit, si uera
permisceat. Quod & Polybius de Vlyssis erroribus asserit. Tale id quoque est,
ισκε ψεύδεα πολλὰ λέγων ἐτύμοισιν ὁμοία. Nam ex historia sumpserrat exordium. Sic Aeol-
um adiacentib. Liparæ insulis imperasse tradit Homerus: uicina itidem Aetnae
loca & Leontinis, Cyclopes & Lestrygonas, homines quosdā immanes, tenuis-
se. Charybdim & Scillam à prædonibus occupatas, idcirco fretum ipsum illius
tempestatis mortales nequaquam adire ausos. Sic Cimmerios, Bosphorum qui
ad Boream est, & loca tenebrosa incolentes, ad finitimas inferno & obscuras re-
giones propriè traduxit. Et Colchorum fabula, Iasonisque ad Aëan nauigatio, &
quæ de Circe ac Medea traduntur, historiam habent antiquam. Eodem modo
ex Ponto ad Oceanum narrationem de Vlysse traduxit, cui illius hominū opi-
nionem significans, qui Pontum tanquam Oceanum quendam arbitrabantur,
& qui eoulque nauigassent non aliter in exteriora maria ingredi credebant, quàm
qui extra columnas longius fuissent producti. Tanquam igitur argento quispiā
circumfundit aurum, ita poëta ueris cōtemplationibus fabulas apponit, quibus
eloquutione dulcedinem conciliat & ornatū, eundem quem & historicus finem
in rebus narrandis respiciens. Quibus tandem necesse est historiam poëtica anti-
quiorem extitisse. Sed an soli huic facultati, artibus cæteris quæ multò post in-
uentæ sunt, nihil historia cōtulit? Aio quòd in uniuersum omnibus. Cū nanque
scientiarū aliæ in contemplatione sola, aliæ in actione quoque consistant quadam,
utrunque genus ex historia initium duxisse, huius uerò pars quoque non exigua in
hac ipsa sita esse uidetur. Siquidem physiologia tota, an non obseruatio quædam
est ueterum, in singulis primū rebus facta, deinde in unam artem à posteris tra-
ducta. Eius uerò partem postremam quandam, titulo quoque historiae notarunt
Peripatetici. Et mathematicæ disciplinæ, in primis uerò Astronomia, non nisi è
plurimorum annorum obseruatione coalescere potuerūt: qualem fuisse tradunt
eam quæ in nobilissima turri Alexandriae à singulis magistris notabatur, de So-
lis ac Lunæ & reliquorum syderum erroribus, donec annorū inde & eclipsium

ceterorumq; modus uniuersus certa coniectura constitueret. Philosophiæ uerò pars quæ à moribus nomen obtinuit, & in actione locatam partem nō exiguam habet, tum exemplorum, tum ceterorum quæ ex historia desumuntur collatione, magnam lucem & præclaram habet. Quin ad uitam ciuilem totam ritè instituendam, singularem utilitatem hæc adfert: quot enim in rebus maximis difficillimisq; tum domi tum foris rectè administrandis, consilia præceptaq; aut non aliunde, aut nusquam felicius ac tutius, quàm ex ijs quæ pridem gesta fuerūt, ac scriptis tradita, eruunt ac usurpantur? Sic absq; rerū à ueteribus gestarū monumentis non multum puerorum scientiam, in rebus plerisq; excedet sæpe parentum sapientia: & qui hanc sustulerit, is partem uitæ non exiguam è medio sustulisse rectè existimabitur. Cum autem historiam & alij scripserint præclare, hoc ipso autore superiorem haberi neminē, rectè arbitrantur. Quando enim duplex huius consilij est opus, & alia scriptorem eligere ac sequi decet, alia uerò uitare, nemo est qui uel pari prudentia hæc declinet, uel simili moderatione illa profequatur. Sic integra fide gestorum narrationes exponit, laudat circumspectè, collocat ac disponit diligenter, ut si uel Momus iudex sit, sententiam hic ferre queat cōmodissimè. Ceterorū autorum ferè singulæ uirtutes sunt, hic unus nouit uniuersas: siue enim Thucydidis densam uim ac breuitatē, siue Herodoti candorem ac effusam uoluptatē, siue Xenophontis iucunditatē in affectatam, siue Platonis doctrinam, siue Aristotelis rerum scientiam, scriptorū copiam, inuentionis acumen, operum uarietatē requiras, in hoc uno ea omnia cumulatim reperiās: ut minime falsa de hoc ipso fuerint magnorū uirorum nostra ætate iudicia, quibus existimatū est, solam huius librorū officinam, ad plenam eruditionē abundè instructam bibliothecam esse. Quo magis tibi quoq; Heroi tum literis, tum dotibus cæteris præstantissimo, prudentia summa, acumine singulari, gratum fore istud consilium existimaui, ut ad ædes tuas, ad Musæum illud longo bonorum autorum ordine instructissimum, hunc quoq; ciuitate Romana non quidem nunc primò donatum, sed græcorum collatione exemplarium, mendis, quæ inerant permultæ & ualde graues, deterfis, mirificè restitutum, destinassem. Sic enim & habeas quò magnis rerum moliminibus defessam mentem oblectare queas, & ego hoc facto, obseruationis erga Tuam Excellentiam, significationē aliquā præbuero: quam significationem clementer abs te suscipiendam esse sanè confido, & in primis opto. Vale. Basileæ, Calendis

Augusti, anno M. D. XLII.